

defectus nobis proposuit diligenter, supplicans humiliter et devote, ut illos restaurare aliquo beneficio largitatis munifice de benignitate regia dignaremur. Quia vero arduis prepediti negociis illis expediendis intendere non potuimus ista vice, ipsa potius in tempus oportunum duximus reservanda, ut tunc ab aliis vacantes negociis vestris et ecclesie vestre defectibus prenotatis possimus intendere cum effectum.

300.

Tenore presencium constare volumus universis publice profitentes, quod universos et singulos, qui ad civitates nostras t(ales) cum rebus suis quibuscunque confugerint, sub nostram et imperii protectionem recipimus specialem, fide stabili promittentes, quod nos ipsos nec in personis nec rebus suis turbabimus nec turbari per alios aliquatenus paciemur. In cuius testimonium et cautelam pre(sens) scrip(tum) conscribi et maiestatis n(ostre) sigillo iussimus communiri.

301.¹

Fideliteti vestre sub obtentu gracie nostre firmiter precipiendo mandamus, quatinus statim visis presentibus municioni civitatis vestre ubicunque opus habuerit congrue reparacionis et reformacionis antidoto intendatis, ipsam circumquaque oportunis structuris et edificiis prout utile fuerit munientes. Quicunque vero huic nostro mandato inpedimentum et obstaculum prebere conabitur, quominus dicta civitas munimine congruo non firmetur, regie indignacionis offensam se noverit incurrisse. Et nos^a eidem^b exnunc nostre gracie beneficium subtrahentes.

302.

Quod tam fideliter tamque ferventer et efficaciter hec, que honorem nostrum respiciunt et profectus adaugent incrementa, illibata fidei tue constancia prosequitur et instaurat, nullo umquam tempore a memorie nostre tabulis abradetur, set sic inprimetur tenaciter, quod re vera meditatione continua sollicitabimus, quomodo et qualiter pro tot devote exhibicionis tue obsequiis condigne tibi retribucionis beneficia rependamus. Tu igitur hec, que adeo inchoasti laudabiliter, laudabilioris continuacionis perseverancia, prout

a) 'Et nos' am Rand T. b) 'eidem' folgt in der Zeile getilgt, am Rand wiederholt T.

1) Künftig in 'Constitutiones' III.